

Psal. 110. b. 4. Item aliud, quo fœdus gratiæ suæ  
 cum Dauide & tota Ecclesia pepigit, Psal. 89.  
 a. 4, & 123. a. 2. Item quo fideles recipit ea lege  
 in gratiam, vt semper illis sit propitius, Esa. 54.  
 c. 7. d. 10, & 62. a. 4. c. 8. Prodeunt terrigenæ gi-  
 gâtes audacia, vera autē æstimatione larvæ ho-  
 minum: adorationem, fiduciam, inuocationem,  
 & quicquid est diuini cultus, tanquam spolia  
 Deo erepta, ad mortuos, ad lapidea simulachra  
 ad somnia vel nihili figmenta trãfferunt: abdi-  
 cant Christo sacerdotij honorē, vt se in eius lo-  
 cum substituunt: gratuitū Dei fœdus cogunt o-  
 perum meritis cedere: promissiones, in quibus  
 fundata erat hominū salus, vel suffocant, vel e-  
 uertunt. Denique per eos non stat quominus  
 Deū extincta eius veritate, ex solio suo detur-  
 bent. Quid valere debeant sanctiones, quibus in-  
 ter se in omnē perfidiam conspirāt, dicere nihil  
 attinet: Lectoribus enim promptum erit, iudi-  
 cium facere. Deus in Lege publicanda, terram  
 & aerem concussit. Quò augustior esset Euan-  
 gelij maiestas, e cælo detonuit, vt Apostol⁹ ad-  
 monet, Heb. 12. g. 26. Denique quicquid reuerē-  
 tiæ à nobis iure suo postulat, verbo suo iubet